PA 6659
.Z5 S3
Copy 1

PA 6659
.Z5 S3
Copy 1

QVAESTIONES

IN SENECAM RHETOREM

SYNTACTICAE

PART. I.

DE PARTICVLIS

LOCI, TEMPORIS, COMPARATIONIS, FINIS, CAVSAE, CONCESSIONIS.

DISSERTATIO

INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

AD SVMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VIII MENSIS JVLII ANNI MDCCCLXXII

H. XI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

MAXIMILIANVS SANDER

POMERANVS

ADVERSARII ERVNT:

H. SCHNEIDEWIN, STUD. PHIL.

F. BECHER, STUD. PHIL.

76121

GRYPHISWALDIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

MDCCCLXXII.

PA6659
.Z553

96-845367

Praefatio.

Senecae rhetoris suasoriae et controuersiae a Ciceronis usu loquendi non raro recedere dudum intellectum est, nec tamen quisquam accuratius de orationis differentiis disquisiuit. Cum uero appareat iudicium de multis locis in libris corruptis ferri omnino non posse, nisi reconditiores syntaxis leges exploratae sint, operae pretium facturus mihi uisus sum, si usum particularum earum perquirerem, quae maxime idoneae sunt ad Senecae loquendi consuetudinem perspiciendam: particulas loci, temporis, comparationis, finis, causae concessionis.

Sed priusquam ad rem ipsam adgrediamur, pauca praemittenda esse uidentur; qua in re omnia praeteribo, quae iam Bursianus, cuius editione [1]) usus sum, in praefatione et alii uiri docti in dissertationibus recte animaduerterunt.

---

[1]) Annaei Senecae oratorum et rhetorum sententiae diuisiones colores. Lipsiae, typis et impensis Breitkopfi et Haerteli 1857.

Nouam eamque meliorem, ut spero, editionem parat Kiesslingius, quae quod in dissertatione mea conscribenda nondum praesto fuit ualde doleo. — Perfecto iam opusculo per Kiesslingii facilitatem auctore Studemundo prima nouae editionis parte, quae pp. 1—48 (Burs. 1—38) et 65—80 (Burs. 54—67) continet, uti mihi licuit.

Quare et ubi Kiessl. et Burs. inter se differant et quae ego de una alteraue lectione iudicem, in adnotationibus commemorabo.

Atque ut statim meam sententiam aperiam: in eo plerique errasse uidentur, quod contextui orationis uerba immiscuerunt, quae Seneca tamquam insolentia et ab usu suo prorsus recedentia consulto deque industria fugit. Hoc sat habeo uno exemplo demonstrare: in scholis peruulgatum est apud Ciceronem in interrogatiuis enuntatis et *quidnam* et *quid enim* saepius inueniri. Seneca hoc adamat, ab illo plane abhorret. Nihilo autem setius in omnibus, quas ego inspexi, editionibus uno loco p. 157, 14 (Burs.) *quidnam* legitur, quamquam in libris scriptis *quidam uolui quae peperi* traditum est; accedit quod *quidnam uolui* lectio ad sensum huius loci non quadrat, cui talia potius sufficere me docuit Studemundus: *ecquid dolui quom peperi.*

Idem contendo de iis particulis statuendum esse, quae cum apud alios scriptores saepissime legantur, apud Senecam nusquam nisi uno uel duobus locis extent, si quidem in ipsis his particulis sedes corruptelae inesse uideatur et eodem sensu aliae particulae saepius legantur.[1])

Neque minus hoc cadere uidetur in ea uocabula, quae in excerptorum tantum libris occurrunt. Comparatis enim iis quae in excerptis exhibentur, cum libris integris multa suo iudicio arbitrioque mutasse epitomatorem apparebit. Quare si quid in excerptis eorum librorum, qui ipsi non seruati sunt, [2]) inuenitur quod nullo alio loco legitur, hoc, licet recte traditum sit, non rhetori ipsi, sed epitomatori tribuendum esse censeo, cum prae-

---

[1]) cf. quae dixi p. 38 diss. meae s. u. *etenim* et p. 48 s. *etsi.*

[2]) non integri traditi sunt libri III., IV., V., VI., VIII.

sertim hunc ipsis iis uerbis a probato sermone latino aut consulto aut neglegentia recedentem deprehendamus. Legitur enim in excerptis p. 389,14 *aeque-ut*, cum apud rhetorem cum uocabulis *aeque*, *aliter*, *perinde* particulae *quam* et *ac* constanter coniungantur. [1]) — Pag. 391,18 legitur *inuiria est, ut*, quae structura nullo alio loco habetur.

Quae de excerptis dixi, eadem etiam ad praefationes librorum primi et secundi, tertii et quarti, quippe quae excerptorum tantum codicibus seruatae sint, neque minus ad inscriptiones referenda sunt. — Has enim Senecam ipsum non concepisse inde apparet, quod usu sermonis a controuersiis et suasoriis ipsis saepius differunt. Velut *iurandi* uerbum inscriptionum tantum duobus locis [2]) coniunctum inuenitur cum *ut* particula; *cum* coniunctio interdum [3]) in titulis eadem ui ponitur atque *qui* pronomen relatiuum aut participium praesentis, qua notione a Seneca ipso non scribitur. Non dico Senecae tempore themata controuersiarum suasoriarumque certis uerbis omnino non fuisse expressa; — nam in controuersiis ipsis talia argumenta, qualia superscripta sunt, interdum laudantur [4]); — hoc

---

[1]) cf. p. 184,11 aliter-quam; p. 119,3 aeque-quam
p. 201,29 „ „ p. 154,23 „ „
p. 34,16 „ ac p. 204,28 „ „
p. 61,21 perinde „ p. 335,15 „ „ etc.

[2]) pp. 92,19 et 133,2;

[3]) pp. 172,16; 208,2; 298,2; 336,2.

[4]) cf. pp. 32,22 et 39,2; pp. 243,13 et 85,9; — uerba quae sunt p. 234,21: *deliberat Alexander, an Oceanum nauiget* (Rebling.) *cum exaudita uox esset: quousque inuicte?* integra ad suasoriam primam referenda esse censeo.

tantum illis exemplis demonstrare uolui illa ipsa argumenta, quae nobis tradita sint, Senecae tempore nondum esse concepta. Quare uirum aliquem doctum, qui Senecae opera tractarit, e controuersiis suasoriisque ipsis titulos illos composuisse et in margine adscripsisse puto, quod eo maiorem habet probabilitatis speciem, cum haud raro in controuersiis uel suasoriis eius modi argumenta laudentur. Quod si recte disputaui, non mirum esse uidetur, quod excerptorum inscriptiones saepissime ampliores sunt quam controuersiarum ipsarum. Fortasse enim alius quis uir doctus iis, cum ei non satis perspicuae esse uiderentur, suas notas adiecit, quae postea a librario in textum receptae sunt[1]). — Huius modi autem textu epitomator usus est, libri ipsi e codice, qui primae tantum manus titulos habuit, fluxisse uidentur.

Quare et excerpta et praefationes librorum primi, secundi, tertii, quarti et inscriptiones ad illustrandam Senecae loquendi consuetudinem caute ac prudentur adhibeamus necesse est et ita, ut quotienscumque ab usu rhetoris recedant, totiens id adnotandum esse putemus.

Hoc quoque commemorandum esse censeo, quod rhetor in conscribendo opere suo singulorum rhetorum, quos dicentes facit, non modo sententiarum ordinem repetiisse, sed etiam loquendi usum, si non omnino, aliqua tamen ex parte imitatus esse uidetur; nam tantam sibi

---

[1]) Non alienum uidetur esse hoc loco Friedlaenderum laudare recte adnotantem *gesta Romanorum* magna ex parte e Senecae augmentis fluxisse; cf. Friedl. Sittengesch. III. p. 370 et ind. lect. aest. acad. Alb. Regim 1871.

esse memoriam ipse [1]) professus est, ut et duo milia nominum recitata quo erant ordine dicta redderet, et ab iis, qui ad audiendum praeceptorem conuenerant, singulos uersus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitaret. — Hoc tribus causis comprobatur. Primum enim si quis stilum, quo Seneca usus est in praefationibus iisque locis, quos inter uerba singulorum rhetorum ipse immittit, cum eo comparat, quem rhetores in controuersiis suasoriisque ipsis adhibent, Senecae orationem multo mitiorem esse quam ceterorum rhetorum etiam cursim legendo uidebit. Adde quod non pauca uocabula sunt, quae Seneca singulos rhetores pronuntiantes faciat, a quibus tamen ipse abhorreat, ipse rursus saepius talibus uocibus utitur, quas rhetores aliis eiusdem notionis uerbis circumscribunt. Utriusque rei ex permultis exemplis nonnulla eligam. Latro enim locutionibus: *naturale est, ut* [2]*), facile est, ut* [3]*), idcirco* [4]*)* utitur, quae apud Senecam ipsum non inueniuntur. Item Asinius Pollio duobus locis *namque* [5]*), quando* [6]*)* ui causali, item Albucius Silus *exspecto, ut* [7]*), mereo, ut* [8]*)* scribit; item Papirius Fabianus *enimuero* [9]*);* Arellius Fuscus *mos est, ut* [10]*), aequum est, ut* [11]*);* Cestius Pius (?) *licet, ut* [12]*);* Pom-

[1]) p. 47,5 seq.; [2]) p. 199,27; [3]) p. 251,19; 20; omnibus aliis locis *facile* et *difficile* uocabula cum infinitino coniunguntur, ut pp. 12,13; 25,12; 51,2; 107.18; 118,5 etc. [4]) p. 176, 7; pro *idcirco* ceteri rhetores scribunt *ob id, ob hoc;* cf. p. 38 in adn. 1; [5]) p. 36,21 et 26; cf. quae dixi p. 42 s. u. *nam;* [6]) p. 36,30 *quando* eadem ui positum est atque *quando quidem*, quae uox non occurrit; cf. Tac. ann. 1,44; 4,64; 11,3; hist. 1,90; Germ. 33; [7]) p. 208,15; [8]) p. 235,11; cf. pp. 66,12; 88,27; 91,26 etc.; [9]) p. 121,5; [10]) p. 91,25; [11]) p. 261,9; cf. pp. 32,2; 94,16; 156,1; [12]) p. 270,13; cf. pp. 25,24; 62,30; 256,5;

peius Silo *iubeo ut*[1]*);* Cremutius Cordus *aliter-ac*[2]*);* Titus Liuius *ut*[3]*)* cum participio futuri coniunctum, aliaque multa, quae Seneca ipse euitauit. — E contrario Seneca p. 52,3 et 8 *ideoque* locutione utitur, ceteri rhetores constanter *et ideo;* p. 48,26 *lex est, ut*[4]*);* p. 256,15 *spero ut*[5]*);* pp. 52,21 et 360,11 *iam uero*[6]*).* — Praeterea si quis ea, quae Seneca in praefationibus de stilo singulorum rhetorum commemorat, cum iis uerbis comparauerit, quae ipsos pronuntiantes facit, eorum usum loquendi consulto atque industria imitatum eum esse non negabit. Hoc uno, si placet, exemplo demonstrabo. Legimus in praefatione p. 116,9: *Dicebat autem Fabianus fere dulces sententias, et quotiens incidebat aliqua materia, quae conuicium saeculi reciperet, inspirabat magno magis quam acri animo:* et eiusdem paginae l. 19: *locorum habitus fluminumque decursus et urbium situs moresque populorum nemo descripsit abundantius. Numquam inopia uerbi sustitit, sed uelocissimo ac facillimo cursu omnes res beata circumfluebat oratio.* — Et quis in conuicia saeculi maiore animo umquam inuectus est, quam Fabianus p. 120,20 sq.? quis pelagus magis poetice, ut ita dicam, abundantiusque descripsit quam idem rhetor p. 2,23 sq.? quis cruciatus matris splendidioribus uerbis depinxit quam idem Fabianus p. 158,25 sq.?

At sufficiant haec; rem accuratius atque diligentius perscrutandam aliis commendo; ego uero ad propositum ipsum adgrediar.

[1]) p. 74,2; cf. pp. 34,12; 47,6; 137,6; 102,4; 200,25; [2]) p. 34,16; cf. quae dixi p. 3 et in adn. 1; [3]) p. 33,16; cf. diss. meae p. 28; [4]) cf. pp. 58,10; 142,28; [5]) cf. Caes. B. C. III. 85; Tac. ann. 16.26; [6]) cf. quae dixi p. 26.

I. De particulis loci.

Hic particula a Seneca de loco [1]) tantum usurpatur semperque significat *hoc loco* uel, si ad rem ipsam transfertur, *hac in re* siue *hac in parte*; neque umquam cum particula interrogatiua *ne* componitur [2])

Hac uno loco p. 80,10 scriptum eandem uim habet atque *hac in uia.* [3]) Coit cum praepositione *tenus*, ita ut fiat *hactenus*, quo uocabulo rhetor et de loco et de tempore saepius utitur.

Ibi particula rarius apud Senecam inuenitur. Occurrit plerumque locali [4]) significatione, ut p. 93,16: *ad cenam uenit-ibi*; p. 372,7: *ueneris in patriam, ibi;* temporali, ita ut germanice reddendum sit *da*, Graece ἔνταῦθα p. 90,31: *quartam ibi fecit quaestionem.* — Tralaticio sensu usurpatur p. 124,26: *coepit a uetere et explosa quaestione: an in omnia patri parendum sit; etiamsi in omnia, an ibi tantum non sit parendum, quo* [5]) *efficitur, ne pater sit.* Non occurrunt composita *ibique, ibidem, alibi.*

Illic saepius uocabulo *hic* opponitur, ut fiat *hic-*

---

[1]) hoc adnotaui propter Hand. Turs. III., p. 78 sq.

[2]) sed cf. *hucine* p. 8.

[3]) ab Hispone Romanio dict m est; cf. quae dixi pp. 5 et 6.

[4]) cf. *ibi-ubi* p. 7,15; 10,26; 327,5; 379,14; *ibi-quo* p. 430,8.

[5]) eodem modo pronomen relatiuum p. 3,13 ad particulam *eo*, p. 199,20 ad *illo* refertur; cf. diss. meae p. 8 et 9.

illic. — Pag. 309,26 *illic* mutandum esse censeo in *irriti*, qua de coniectura sub uocabulo *ubi*[1]) fusius disseram.

Istic non legitur; **alias** tantum p. 19,9 et 11, ubi positum est pro *alibi.*

Vsquam p. 1,8 ponitur antecedente uoce *nec; nusquam*, quod saepissime occurrit, 360,19 cum genitiuo *rerum* coniungitur, si quidem codice S, id quod uerisimile uidetur esse, hic locus recte traditus est.

Huc uel **hoc**[2]), quae forma saepe in libris inuenitur de loco usurpatum significat *in hunc locum.* Pag. 60,26 *huc atque illuc*, p. 79,19 *huc-illo* legitur. Vno loco p. 284,2 in enuntiato interrogatiuo *hucine* habetur. *Adhuc* temporali tantum ui positum de tempore et praesenti et praeterito adhibetur;[3]) saepissime pro *etiamnunc* et *adhuc non* pro *nondum* scribitur.

Eo tribus tantum locis notione locali ponitur p. 3,13 *Alexandrum eo*[4]) *dimittitis, quod adhuc quid sit disputatur*; p. 69,5; *eo deducta es-ubi;* p. 71,8: *nec quisquam eo (in lupanar) uenit, ut iudicet.* — Notionem temporalem huic uoci duobus locis rhetor immiscuit antecedente *usque* particula, pp. 78,13 et 181,17. — De gradu Seneca hoc uocabulum ante comparatiuum sequentibus plerumque particulis *quia quod ut* usurpat, ubi nos dicimus *um so — weil, damit.* — Vno excerptorum loco p. 386,6 ui comparatiua sequente *quo* ponitur *(je-desto)*;[5]) omissa *quo* uoce, id quod apud probatos scriptores perraro

---

[1]) diss. meae p. 11. [2]) cf. pp. 79,19; 149,15; 150,14; 180,18; 285,26. [3]) cf. pp. 236,11; 271,29; 274,11; — uide etiam Draegeri *Syntax und Stil des Tac.* p. 7. [4]) cf. p. 7 s. u. *ibi.* [5]) cf. quae dixi de eis structuris, quae in exc. tantum leguntur. p. 2.

fit, eadem notione p. 48,11 exhibetur.[1]) — Numquam *eo* uim causalem *(-deshalb)* inuoluit. — Saepissime de modo alicuius actionis dicitur sequente particula consecutiua *ut;* quod ubi fit, uoci *eo* plerumque *usque* praecedit. Legimus, ut exemplum adferam p. 16,13: *eo peruenit insania eius, ut.* — Numquam autem uocabulum *eo,* id quod alii scriptores adamant, [2]) ita cum genitiuo coniungitur, ut efficiatur, si in eodem exemplo uersari licet, *eo insaniae peruenit.* — *Adeo* idem fere ualet atque *ita* uel *sic,* et ante nomina adiectiua et ante uerba ponitur. — De particula *ideo* disseram p. 41. — *Eodem* et *eoque* apud Senecam non occurrunt.

Illo saepius legitur, **illuc** tantum pp. 60,27 et 151,18; **isto** p. 160,22; **istuc** [3]) particula non inuenitur; **alio** p. 55,26.

Hinc uocem rhetor ponit p. 164,6, ubi, licet recte tradita sit, dubitari potest, utrum uim habeat localem an temporalem, cum uerba antecendentia pessime corrupta sint. *Hinc-hinc* pro *hinc-illinc,* a qua structura Seneca se abstinuit, exhibetur pp. 141,6 et 316,11. — De tempore usurpatum (von der Zeit an) legimus *hinc* p. 93,26, ubi sequitur *cum* temporale. — De causa p. 130,14 dicitur. —

In **inde** particula adhibenda congruit fere Seneca cum ceteris scriptoribus; nisi quod ei uim temporalem non tribuit. — In unam uocem saepe coit cum *de, sub,*

---

[1]) cf. Draeger. p. 60; fortasse ad hunc locum quadrant quae dixi p. 6. [2]) exempla cumulari uix opus est; quae qui requirit, conferat Hand, Turs. III, p. 419. [3]) p. 312,15 *istuc* forma uestusta pro *istud* ponitur.

per praepositionibus. *Deinde*[1]) semper de tempore dictum plerumque ordinem exprimit, quo res se excipiunt, qua de re plura dicemus, cum ad particulas temporis uenerimus. Ponitur et ineunte oratione et alterum locum tenet, nonnusquam in ipsa media sententia legitur. — *Subinde* modo nostrum *sogleich*, modo *von Zeit zu Zeit* significat.[2]) — *Perinde* legitur p. 61,21 ui comparatiua coniunctum cum *ac* particula.[3]) — *Exinde* et *proinde* particulae Senecae displicent.

Illinc pp. 26,18 et 154,9 ui locali ponitur, **istinc** p. 71,13; **utrimque** pp. 86,9; 120,23; 373,23; **utroque** forma non occurrit.

Transeo ad interrogatiuas et relatiuas particulas loci.

Qua eadem ui ponitur atque *qua uia*, ut pp. 213,24; 275,7; 302,5 et *qua'enus* (quod ipsum non legitur) ut pp. 1,11; 20; 22,21. Ne ceterae quidem particulae cum *qua* compositae inueniuntur.

Vbi primum localem habet uim et plerumque relatiuum est; antecedunt saepissime uocabula *ibi, huc, illo, illic, inde*: neque minus in interrogationibus et rectis et obliquis occurrit. Numquam ita a Seneca usurpatur, ut genitiuus, id quod non ita rarum est apud alios scriptores, sequatur, uelut *ubi gentium, ubi terrarum.* — Notione temporali posita est particula p. 24,24; *omnis destruit*[4]) *animum dies, ubi ignominia spem premit, ubi nullam meminit aciem, nisi qua fugerit, (jeder*

---

[1]) *Dein* forma non occurrit. [2]) cf. pp. 44,12; 51,22; 107,16; 120,23; 241,7; 364,4: 385,18. [3]) cf. quae dixi p. 3 in adn. 1.

[4]) codd. pro *destruit* aut *est sit* aut *est situ* praebent, quae signa a Schotto in *destituit* mutata Kiessl. recepit.

Tag, an welchem) et p. 390,6: *tunc eius modi coloribus utendum, ubi uerendum est etc.*, numquam autem rhetor *ubi* particulam sic usurpat, ut idem ualeat atque nostrum *sobald als;* [1]) legitur quidem in excerptis p. 429,22: *loquor, ubi primum licet;* sed ut codicibus haec uerba recte tradita sint, tamen quin epitomatori, non Senecae tribuenda sint, uix dubium est; praeterea ne omnibus quidem libris *ubi primum* traditur, sed cod. Parisinus *(P)*, qui saepius ueram lectionem tenet, hoc loco praebet: *torqueor ut primum.* — At liceat mihi etiam de alio loco quae mea sententia sit, aperire. Est in codicibus p. 309,26; *nec illic ubi redimus omnis gloria in una domo erat;* quae uerba sic ferri non posse iam Vahlenus in Mus. Rhen. uol. XIV. demonstravit et scribendum esse proposuit: *nec illinc nudi redimus.* Sed *nudi* uocabulum, ut iam Bursianus in Specilegio [2]) recte animaduertit, non idem significare potest atque *sine spoliis;* quare Bursianus lacunam, quam in editione sua post *illic* uoculam statuit, sic expleri uult: *nec illic [hortari me ad uirtutem desiisti;] ubi redimus, omnis gloria in una domo erat.* Licet uerba *nec-desiisti*, idoneum sensum efficiant, quid sibi uult altero enuntiato: *ubi-erat?* Primum rhetori particulam *ubi* hac ui: *sobald als* tribuere nullo modo debemus; deinde ne hoc quidem adsequor, quo modo sana sententia aut insit aut extricari possit. Quare equidem Vahleni, qui uerum loci sensum diuinasse mihi uidetur, uestigia secutus pro eo, quod est

---

[1]) pro *ubi* hac notione Seneca scribit *ut*; cf. pp. 34,24; 35,1; 87,6 etc,

[2]) *Specil. crit. in Annaei Senecae libr. contr. et suas Turici* 1869.

in libris *illic*, scribendum propono *irriti*, id est *sine euentu;*[1]) in *ubi* autem uoce uestigia uocabuli *urbem* latere crediderim. Quod si placet, ante uocem *urbem* praepositio *in* requiritur, quae ut in aliis sic etiam in Senecae libris manu scriptis saepissime[2]) excidit. Igitur hunc locum exempli gratia sic legamus: *processi tecum in aciem, nec irriti in urbem redimus: omnis gloria in una domo erat*, quae uerba sensui saltem satisfacere uidentur.

Reliquum est, ut de particulis quibusdam disseram, quae cum uocabulo *ubi* in unam uocem coeunt *aliubi, ubique, ubicumque*. — *Aliubi-aliubi* p. 159,22 legitur pro nostro *hier-da, ubique* pp. 109,5; 318,3; 121,16[3]); *ubicumque* saepius occurrit. — *Sicubi* in editione Bursianea legitur p. 121,19; *qui sicubi tectis iniectus est fortuito siluae et nemora illa urbium excidia sunt.* In codicibus est: *qui subiectis iniectus est fortuitos quae et beuna illa urbium excidia sunt.* Sed patet totum hunc locum misere corruptum esse, nec quisquam quomodo sanandus esset inuenit. Ante omnia autem constare uidetur Bursiano rem male cessisse in uerbis librariorum culpa ualde dilaceratis *sicubi* particulam ponenti, quae nullo alio loco firmatur[4]).

Quo uocabulo rhetor ui et locali et finali utitur. Pag. 95,29 legitur: *an nemo iureiurando teneatur, quo*

---

[1]) irritus uocabulum hac notione absolute positum habent Tac. ann. 1,59; 14,7; 15,25; hist. 3,20; L. Sen. de benef 6.11.

[2]) cf. pp. 3,1; 166,26; 170,20; 182,23 etc.

[3]) Hoc loco sequitur genit. *gentium.*

[4]) cf. quae dixi p. 2. Nunc Kiesslingius *sicubi* particula recte sublata proposuit: *qui siue subiectus tectis siue fortuitus* etc.

per necessitatem adactus est, ubi particula *quo* ad *iureiurando* uerbum relata pro *ad quod* posita est; — p. 183,7 legitur: *quo terrarum.* — Quattuor locis uim finalem habet prope gradum comparatiuum et sequente coniunctiuo, *(damit um so).* — De structura *eo-quo* iam antea disserui s. u. *eo.* — De compositis *quoad, quousque, quoque, quominus* suo loco uerba faciam. — *Aliquo* particula occurrit p. 359,13: *omnia intenta, aliquo petentia*, qui locus num recte traditus sit, ualde dubito. Primum enim *petendi* uerbum numquam sic construitur, ut dici possit *peto huc, eo, aliquo;* sed semper, quod sciam, cum accusatiuo coniungitur. Hoc idem etiam Schottus significaturus scripsisse uidetur: *omnia intenta aliquo, petentia.* Sed ne hoc quidem recte contextui dederis: *petentia* enim uocabulum absolute positum ualde displicet; deinde illa, quae codicibus tradita sunt, ne ad sensum quidem quadrare uidentur qui talis fere fuit: *omnia intenta aliquo, aliquid petentia. Quocumque* uox saepissime apud Senecam legitur.

Vnde de loco, de origine, de causa dicitur; neque minus instrumentalem notionem habet, (quod ubi fit, commutari potest cum *quo* ablativo pronominis), cuius usus exempla inuenies pp. 100,14; 104,30; 366,3: *non habeo, unde uiuam.*— *Vndique* tribus locis eadem ui occurrit atque nostrum *überall.*

II. De particulis temporis.

Nunc particula plerumque cum tempore praesenti neque multo rarius cum praeterito construitur[1]), ut pp. 140,14; 194,4; 245,30; 255,18; 259,7 aliis locis. Saepissime cum imperatiuo ad ornandam orationem coniungitur, ut neglecta paene temporis ui ad sensum superuacanea esse uideatur, quod ubi fit, imperatiuo semper postponitur, ut pp. 19,27; 28,2; 49,18; 89,16; 99,5; aliis locis permultis. — Pag. 189,26 libri exhibent: *Neca dum parricidam fuisse, quem scis esse piratam.* Jahnius *neca dum* in *nega olim* mutato aptam sententiam restituit, pro quo Bursianus *nega dum* scribi uult, quod cur non recipiendum sit, p. 24 diss. meae explicabo. Equidem corigendum esse censeo *nega nunc*, quod et excerptorum libri exhibent et editio Schottiana. — *Etiamnunc* plerumque de tempore praesenti a Seneca adhibetur; cum praeterito pp. 158,5; 163,10; 218,9; 263,20: coniungitur, cum futuro p. 221,20; — p. 95,10 legimus *non-etiamnunc*, pp. 145,26 et 163,10 *etiamnunc-non*, (sic enim p. 145,26 recte scripsisse uidetur Bursianus); utrumque idem ualet atque *nondum*[2]); *etiamnum* forma in codicibus est pp. 142,6 et 264,24.

---

[1]) cf. Hand. Turs. IV., 337.

[2]) cf. Hand. Turs. II., 582.

Tum et **tunc** promiscue usurpantur. Hoc solum tenendum est numquam inueniri *tum primum*, sed semper *tunc primum*, ut pp. 61,8; 83,27; 100,7; 232,6; quae exempla cum omnium codicum auctoritate fulciantur, falso commemoratum esse docent, quod legimus apud Reisigium (Vorles. ed. Haase) in adnot. 419b: *tum ist immer bewahrt in tum primum.* — Bursianus p. 164,14 id quod est in libris *tunc*, cur in *tum* mutauerit, non dispicio; nam in compositione uerborum *iam tunc*, pro qua plerumque legitur *iam tum*, eum non offendisse inde perspicitur, quod *iam tunc* seruauit p. 225,17. Mihi quidem nihil obstare uidetur, quominus etiam altero loco codicum lectionem *iam tunc* tueamur, idque iam Muellerus uidit. In enumerationibus rhetor neque *tum* neque *tunc* particulis utitur, qua de re conferas uelim, quae dicam p. 18 diss. meae; nec non a forma copulatiua *cum-tum* abhorret, item a compositis *etiamtum* et *etiamtunc*.

Mox tantum p. 154,3 inuenitur; **nuper** duobus locis p. 225,36 de termino longius remoto, *(früher,)* p. 51,1 de tempore modo peracto *(erst kürzlich)*.

Statim plerumque cum tempore praeterito, quatuor locis [1]) cum praesenti, bis [2]) cum futuro coniungitur.

Tandem de rebus iam diu exspectatis usurpatur plerumque in interogationibus, quae nationem indegnationis inuoluunt, pro *nam*, quod Seneca hac ui non adhibet; [3]) Graeci eodem modo dicunt *ποτέ*.

---

[1]) cf. pp. 162,25; 109,19; 246,16; 362,6;
[2]) pp. 22,4 et 193,9;
[3]) cf. quae dixi p. 2,

Demum, *(erst)* tribus locis inuenitur pp. 5,20; 36,7; 424,10; primo loco adiectum pronomini demonstratiuo, altero particulae *tunc;* tertio praecedit *in senectute.* — **Illico** non occurrit.

Primum de tempore dictum idem ualet atque nostrum *zum ertsen Male,* in enumerationibus *erstens; quamprimum* (*sobald als möglich*) legitur pp. 44,29 et 72,19. Sed quoniam enumerationum mentionem feci, hoc loco comprehendam, quae uocabula in eius modi enuntiatis adhibuerit. Primum igitur enumerationis membrum introducitur uocabulo *primum,* alterum *deinde,* ultimum plerumque *nouissime* uoce. Si plures quam tres articuli distinguuntur, tertius itidem a *deinde* particula incipit, nam *tum* in enumerationibus non poni iam antea commemoraui. Enumerantur igitur res his uocibus:

primum — deinde — deinde — nouissime[1])

Sed perraro enumerationis forma tam concinna est, ut omnia haec uerba perscribantur; saepius modo *primum,* modo *nouissime,* modo utroque omisso legimus:

uel — — — *deinde — nouissime*

uel *primum — deinde* — — — —

uel — — — *deinde* — — — —

Haud raro cum *primum* et *deinde* desint, pro *nouissime* alia uerba occurrunt, ut *ad ultimum*[2]) uel *denique*[3]). — Pro *primum* Seneca p. 164,3, ubi duo tantum articuli dirimuntur, *prius* adhibet; altero enuntiato sequitur *deinde.* —

---

[1]) cf. pp. 5,27: 29; 31; — 105,20; 23; 28.
[2]) cf. pp. 111,8; 154,4 etc.
[3]) cf. pp. 323; 284,6; 3,21,9;

Primo legimus pp. 33,15; 290,8; 299,15; 395,8, ubi idem semper ualet atque *initio*, quod ipsum non occurrit.

Denique p. 107,18 eadem ui ponitur atque nostrum *endlich einmal;* p. 93,1 ironica quadam ui idem ualet atque *am Ende gar.* — Plerumque ab hac particula nouum enuntiatum incipit; duobus praefationum [1]) locis pp. 242,19 et 375,11 Seneca multa nomina inter se ita conectit, ut ultimum quodque uocabulo *denique* adserat. Duobus his locis uoci, ad quam refertur, postpositum *denique* idem ualet atque *que* particula. [2])

Jam plerumque uertendum est *schon*, in interrogationibus negatiuis *noch.* — Pag. 43,3 Bursianus *ita* aut deleri aut mutari uult in *iam;* neque uero hoc neque illud mihi placet; sed *ita* particulam, quippe quae saepius ui causali occurrat, [3]) seruandam et totum locum sic legendum esse puto: *Breuem uitam esse omni* (fort. scr. *homini*), *multo magis seni; ita memoriae consulendum, quae magnis uiris aeternitatem promitteret.* — *Jam* coniunctum cum negatione semper uertendum est *mehr*, siue praecedit negatio, siue sequitur. [4]) Praecedunt enim apud Senecam uoci *iam* uocabula *nullus, nemo, uix*, postponuntur *non* [5]) et excepto uno excerptorum loco p. 391,27 *nihil. Neque* praecedit, si idem ualet atque *und nicht*, ut pp. 27,18; 142,21 etc. —

---

[1]) cf. quae dixi p. 4.

[2]) cf. Fritsch: *Vergl. Bearb. der gr. u. lat. Partikeln* I, 39 2.

[3]) cf. pp. 47,21; 144,25.

[4]) cf. pp. 107,27; 118,12; 143,26 etc.

[5]) pro *non iam* (= noch nicht) semper legitur *nondum.*

Saepissime *iam* coniungitur cum aliis temporis particulis, ut legamus *iam nunc (schon jetzt)* et mutato uerborum ordine *nunc iam (jetzt schon), iam olim* et *olim iam, iam tum, iam tunc, iam pridem.* — *Jam diu* uno editionis Bursianeae loco legimis p. 107,20: *causa abdicandi est, ne sine filio uiuam, quem iam diu non uiderem, nisi abdicarem.* In libris exhibetur *tam diu,* quod quare Bursianus mutauerit in *iam diu,* non intellego. Nam quod ad sensum attinet, illud non minus placet quam hoc. Fortasse editor *tamdiu* absolute ponere ueritus coniecturam illam obtulit. Sed cum *tam diu* saepissime[1]) ita adhibitum inueniatur, *iam diu* autem nullo alio loco, codicum lectionem hoc loco seruandam esse censeo. — *Jam uero* Seneca ipse pp.52,21 et 360,11 utitur; *iam autem* non occurrit. — De particula *etiam* disseram, cum ad particulas comparatiuas uenero. —

De **semper, interim, olim** uocibus nihil est, quod commemorem.

Pridem quater legitur antecedente ubique *iam* particula, pp. 7,29; 30; 93,18; 298,21; **dudum** non occurrit.

Diu particula cum poetae comici ita utantur, ut uertenda sit *bei Tage,* Seneca hoc sensu *interdiu* compositum tribus locis adhibet, pp. 12,18 et 298,10, ubi *interdiu nocte* uocabulo, et in excerptis p. 398,10, ubi *noctu* formae opponitur. — Plerumque autem temporis diuturnitatem respiciens *diu* idem significat atque *per longum tempus.* — *Tamdiu* plerumque absolute poni-

[1]) pp. 11,22; 139,20; 173,6; 203,17 etc.

tur; p. 131,18 sequitur *quamdiu*, pp. 170,11 et 268,20 *donec*. — *Jam diu*[1]) et *iam dudum* apud Senecam non occurrunt. — *Aliquamdiu* ipse[2]) in praefatione adhibet pp. 377,18 et 378,12. — *Diutius* uim comparatiuam semper seruat, quare plerumque *quam* sequitur; *diutissime* non legitur.

Hodie et pro *hoc die* et pro *hoc tempore*[3]) ponitur; **postridie** p. 398,11, **cras** p, 182,20, **heri** p. 141,4 occurrunt.

Ante saepe absolute ponitur; sex locis praecedit *paulo*, p. 34,13 *breui;* saepissime sequitur *quam*, qua de structura fusius disseram, ubi ad uocabulum *prius* peruenerimus. — *Antequam* sic compositum rarius apud Senecam inuenitur. Quod cum plerumque cum modo coniunctiuo coniungatur, patet Senecam non eandem rationem secutum esse quam Liuium, cuius de usu Kuehnastius recte adnotat[4]): *Die Sache liegt auch für L. so, das sbei einfachen Zeitangaben, deren Eintritt man sich als wirklich vorstellt, in solchen Sätzen der Indicativ steht.* Cum indicatiuo enim coniunctum *antequam* his tantum locis legitur p. 7,7: *propitiis auribus accipitur, quamuis incredibile est,* (fort. scr. *sit*[5])) *quod excusatur, antequam dicitur;* p. 71,18: *quae inimicitiae cuique esse possunt, quam nemo ciuium suorum norat, antequam prostitit?* p. 85,22: *antequam ad me redeo,*

---

[1]) cf. quae dixi p. 8.
[2]) cf. quae dixi p. 5.
[3]) cf. pp. 165,14; 239,8; 331,27 etc.
[4]) „*Die Hauptpunkte der Livian. Syntax.*" Berlin 1872, p. 238.
[5]) cf. quae dixi diss. meae p. 45.

exierunt[1]). Omnibus aliis locis coniunctiuus ponitur atque adeo in iis enuntiatis, ubi facta sola commemorantur: uelut p. 133,9: *antequam iuraremus, diu haec inter nos tacita lex erat;* p. 154,15: *(Fabius), de quo Seuerus Cassius, antequam ab illo reus ageretur dixerat* etc.; p. 211,27: *antequam te uiderem, nesciebam rhetoras uictoriatos esse;* p. 235,12: *misericors in nos, etiam antequam rogaremus, erat*[2]). — Quod ad tempora, quae post *antequam* uocem ponuntur, attinet: indicatiuus praesentis historici legitur p. 85,22 (in apodosi perfectum); praesentis simplicis, ut ita dicam, p. 7,7 (in apodosi praesens); perfecti p. 71,18 (in apodosi plusquamperfectum); ceterorum temporum indicatiui non inueniuntur. Coniunctiui occurrunt praesentis tantum et imperfecti, prout in apodosi aut praesens aut praeteritum ponatur. — *Priusquam* particula utrum Seneca eadem ratione utatur necne, dici non potest, cum uno tantum excerptorum loco p. 423,21 hoc uocabulum inueniatur. — Pro *priusquam* et *antequam* particulis antecedente uoce negatiua semper scribitur *prius-quam* et *ante-quam* alio uocabulo interiecto[3]); sed etiam omissa negatione saepius inter *prius* uel *ante* et *quam* aliae uoces inseruntur, ut pp. 7,19; 84,11; 277,16; 404,18. — Quod ad modum attinet, apud Senecam nihil refert,

---

[1]) Pag. 149,11 legitur: *antequam moritur, rogat uenias,* ubi mirum uidetur esse, quod cum indicatiuo construitur, quamquam in oratione obliqua positum e coniunctiuo *uenias* pendet; fortasse scribendum est *antequam moriatur*.

[2]) cf. etiam Kuehnast. p. 393 ad p. 238 sq.

[3]) cf. pp. 12,5; 29; 58,16; 107,26; 242,15; 243,8; 267,20; — cf. etiam Anton „über antequam und priusquam" p. 37 sq.

utrum negatio praecedat necne, (cf. tamen Anton, über antequam und priusquam p. 13 sq.)

Antea p. 237,11 legitur, ubi pro *ante* fortasse propter sequentem accusatiuum *legem* positum est. —

Postea saepissime inuenitur, *postea-quam* tantum p. 266,16: *postea feci, quam dimissus sum. - Post, post-quam, posteaquam* non occurrunt. — *Postquam* semper cum indicatiuo (plerumque perfecti) coniungitur, pp. 23,19 et 83,9 cum plusquamperfecto. In apodosi plerumque perfectum sequitur; p. 197,30 imperfectum, pp. 87,4 et 142,11 praesens.

Simul plerumque idem ualet atque nostrum *zugleich;* tribus locis *sobald als* pp. 216,4; 311,18; 359,5 ubi positum est pro *simulac*, quod hac notione non inuenitur. *Simul-et* legitur p. 71,2; *simul et-et* p. 259,16.

Dum particula si idem ualet atque nostrum *während, so lange als*, semper cum indicatiuo praesentis coniungitur. Pag. 112,4 perfectum legitur: *numquid amplius pugnauit, quam dum necesse illi fuit;* qua in constructione Schottus quod offendit, laudandus est: nec tamen minus displicet *quod* pronomen adeo pro *dum* commendatum. Veri mihi similius esse uidetur *dum* ex ultimis *quam* uocabuli litteris ortum ideoque delendum esse, cum praesertim nullo alio loco talis comperatio: *amplius - quam dum* occurrat[1]). — In apodosi plerumque perfectum et praesens, rarius futurum, plusquamperfectnm, imperfectum inueniuntur. — Coniunctum cum coniunctiuo *dum* saepius pendet ex uerbo *exspec-*

[1]) cf. quae dixi p. 16 s. u. *nunc.* Kiessl. proposuit nuper; *quam quantum*, quod non melius placet.

tandi; nonnullis locis ad condicionem relatum idem significat atque nostrum *wenn nur* uel *insofern als*, ut pp. 69,22; 75,1; 85,9; 243,12; eadem notione legitur pp. 115,1 et 118,16 *dummodo*, p. 116,13 *dum-modo; dumne* Bursianus p. 261,22 recte scripsisse uidetur pro eo, quod in libris exstat *dum*. Sed quod p. 212,23 idem codices secutus *dum* textui immiscuit non adsentimur. Legitur enim: *et cum scolastici maximo clamore laudarent, (Latro) inuectus est in eos, ut debuit, et hoc effecit, ut in relicum etiam quae bene dicta erant, tardius laudarent, dum insidias uererentur* (libri: *uerentur*). Facile intellegi potest in uerbis: *dum insidias uererentur*, inesse causam, cur non laudauerint; quare scribendum esse conicio *cum uererentur*. — Interdum *dum* particula *age* imperatiuo adicitur, ut fiat *agedum;* Bursianus etiam aliis imperatiuis Senecam eodem modo eam adiecisse putat; nam scribit et p. 189,26 *negadum*, quod cum Schotto et excerptis mutaui in *nega nunc*, et p. 230,14: *exspectadum, legati mittuntur*, quae uerba item excerpta secutus mutanda esse censeo in: *exspecta, dum legati mittantur*. — *Interdum* raro inuenitur; *nondum* saepissime; *et nondum* eadem ui atque *neque iam* p. 142,4; *Nedum* p. 321,29 antecedente negatione, pag. 30,6 omissa negatione[1]). *Necdum* inuenitur tantum in excerptis p. 429,19, ubi idem ualet atque simplex *nondum*[2])

---

[1]) Apud Ciceronem *nedum* nisi praecedit negatio, non legitur. Liuius primus hac uoce etiam omisso uocabulo negatiuo utitur.

[2]) cf. Draegor p. 40.

Quando et relatiuum et interrogatiuum de tempore usurpatur; uno loco uim causalem habet p. 36,3, ubi idem ualet atque *quandoquidem*[1]), quod non legitur; *aliquando* saepissime inuenitur.

Donec semper cum modo coniunctiuo construitur; tribus locis ex *exspectandi* uerbo pendet pp. 64,31; 107,22; 151,15; *tamdiu* praecedit pp. 170,11 et 268,21; *usque eo* p. 76,13; absolute positum, ita ut *usque eo* subaudiendum sit, legitur p. 282,2.

Quoad tantum p. 42,11 inuenitur, ubi ui relatiua cum futuro exacto coniunctum eandem habet significationem atque sequens uocabulum *quamdiu.*

Quousque octiens ui temporali usurpatur sequente indicatiuo futuri primi; tribus locis p. 234,22; 26; 27 diiudicari nequit, utrum uim temporalem an localem habeat, quia uerbo finito omisso hoc tantum legitur: *quousque inuicte?* Semper in interrogationibus occurrit.

Vmquam plerumque in sententiis negatiuis ponitur post uocabula *nec, nemo, nullus, non,* necnon in interrogationibus negatiuis, tum prope comparatiuum, ut p. 376,15, et superlatiuum[2]) ut p. 6,18; duobus locis post uocabulum *quidquid,* p. 56,23: *quidquid umquam effudimus,* et p. 262,24, ubi Wachsmuthius scribendum esse recte proposuit: *quidquid umquam commisi.* — **Numquam** sexcentiens legitur; *nonnumquam* tantum p. 207, 21; ceteris locis pro *nonnumquam* occurrit *interdum* particula.

---

[1]) cf. quae dixi p. 5.

[2]) cf. Zumpt. lat. Gramm. §. 709, b.

Cum particula, ubi cum indicatiuo imperfecti et plusquamperfecti coniungitur, repetitionem significans idem semper ualet atque nostrum *wenn, so oft als*, ut pp. 178,9; 10; 17; 194,27; 265,20 309,4 etc. — Quattuor locis in capite apodosis sic posita est, ut idem fere ualeat atque *tunc*: p. 88,13; 15, ubi constructa cum indicatiuo praesentis historici sequente *interim* uoce, pp. 150,19 et 299,6, ubi cum perfecto coniuncta legitur sequente *subito;* praecedunt tempora historica. — Saepius in argumentis occurrit pro *qui* pronomine, qua de re conferas uelim, quae dixi p. 3. *Cummaxime* legitur pp. 55,21 et 327,8; idem ualet atque nostrum *besonders*.

A **quondam** particula Seneca se abstinuisse uidetur. Codicibus enim haec uox in excerptis tantum firmatur p. 396,4; Bursianus autem etiam p. 258,6 *quodam*, quod exstat in libris, suo iudicio mutauit in *quondam*. Sed cum nullo alio loco haec particula exhibeatur, sed eadem notione *olim* uel *aliquando* uoces semper occurrant, illic *quondam* epitomatori tribuendum, hic mutandum esse arbitror in *quendam*, quod uocabulum eo magis hoc loco probandum esse uidetur, quia Flori cuiusdam mentio fit rhetoris, de quo nihil amplius constat. [1])

Iterum et **rursus** ita inter se differunt, ut hoc sine respectu numeri et ordinis repetat, illud primam semper repetitionem respiciat; quare *iterum* uoci saepius praecedit *semel*, ut pp. 35,11; 103,6: *semel-iterum;* tertius tunc articulus uocabulo *tertio* adiungitur, ut pp.

---

[1]) eodem modo Seneca p. 126,9 Brocco, rhetoris ignoti nomini, *quidam* pronomen adicit.

175,19 (recte enim Bursianus hoc loco *cum iterum* restituit) et 313,1: *semel-iterum-tertio:* omisso uocabulo *semel* p. 315,7 legitur: *iterum-tertio.* — *Rursus* pp. 51,13 et 52,17 idem ualet atque nostrum *hinwiederum, hingegen* (Seneca).[1]) *Iterum atque iterum, rursus atque iterum, iterum atque saepius* non occurrunt.

Totiens et **quotiens** uoces saepius inueniuntur; *quotienscumque* tantum p. 109,1, *aliquotiens* p. 33,17.

[1]) cf. quae dixi p. 5.

III. De particulis comparatiuis.

Vt comparatiuum apud Senecam plerumque occurrit in enuntiatis minoribus et parenthesin aequiperantibus: *ut dixi, ut ferunt, ut mos est,* aliis eiusmodi structuris. — Nonnullis locis idem ualet atque nostrum *wie zum Beispiel,* ut pp. 16,18; 102,27; 206,12; 17 etc. — Quattuor tantum locis in altero comparationis membro sequitur *ita*: pp. 24,22; 44,30; 267,24; 268,19; *sic* particula antecedente *ut* comparatiuo non legitur, [1]) nisi forte p. 243,5 *uel,* quod est in codicibus, mutandum est in *ut,* qua de re infra dicam p. 27. — Vno loco *ut* cum patricipio futuri coniunctum inuenimus; p. 33,16: *(Cicero) primo in Tusculanum fugit, inde transuersis itineribus in Formianum ut ab Caieta nauem conscensurus proficiscitur;* quam structuram, quia totus locus ex Titi Liui libro CXX [2]) fluxit, non Senecae sed Liuio tribuendam esse censeo, [3]) idque eo confidentius, quia rhetor ne ceteras quidem comparationis particulas sic construit. [4]) — Vi fere causali *ut* comparatiuum positum esse uidetur p. 184,12: *malam causam habeo, ut inter fratres,* quae uerba sic fere interpretemur: *einen schlimmen Auftrag habe ich, da ich es mit meinem Bruder zu tun habe.*

---

[1]) Haec dico propter Reisig. (Vorles. ed. Haase) §. 241 sub finem.

[2]) cf. Weissenb. pp 281 et 282; Madvig IV, 1 frg. p. 10.

[3]) cf. quae dixi p. 5.

[4]) cf. Kuehnast (livian. Syntax) p. 270.

Saepe *uelut* et *sicut* composita occurrunt, quibus Seneca eodem modo utitur atque simplici uocabulo *ut*, nusquam tamen pro nostro: *wie zum Beispiel.* — Vno loco editionis Bursianeae antecedente *uelut* alterum comparationis membrum integrum introducitur particula *sic* p. 243,5. Sed cum structura *uelut-sic* apud ceteros scriptores perraro occurrat,[1]) *uel* signa, quae in codicibus exstant, non in *uelut*, sed in *ut* mutanda esse puto. Est quidem haec comparationis forma nullo alio Senecae exemplo comprobata, sed cum ceteri scriptores sic loqui soleant, etiam hoc loco *ut* particulam rhetori reddere debebimus. Legendum igitur erit: *Itaque ut ex umbroso et obscuro prodeuntes loco clarae lucis fulgor obcaecat, sic scolasticos*[2]) *in forum transeuntes omnia tamquam noua et inusitata perturbant.* — Pro *uelut* pp. 175,12 et 176,26 scribtur *ueluti* (a Latrone),[3]) pro *sicut* p. 378,20 *sicuti* (a Seneca).[3]) Simplex *uti* nusquam occurrit; uitantur etiam *praeut*, *prout*, *utut* composita; *utcumque* sexiens inuenitur. — *Vt* consecutiuo plerumque *eo*, *adeo*, *usque eo*, *tam*, *tantum*, *ita* uocabula praecedunt. Quod attinet ad consecutionem temporum, Seneca in uniuersum eandam rationem atque ceteri scriptores Romani sequitur. Hoc solum commemorandum est post praesens coniunctiuum imperfecti poni p. 73,28: *An idonea sit, in eas tractationes quas quisque uult, diuisit: an idonea sit tam infelix, ut caperetur, ut ueniret, ut lenoni potisssimum, ut prosti-*

---

[1]) cf. Reisig. p. 42,4. [2]) sic Bursianus recte scribit pro: *istos a scolis.* [3]) cf. quae dixi p. 5.

tueretur etc.; nam uocabula *tam infelix* idem hoc loco ualent atque: *illa quae tam infelix erat* [1]). *Ut* temporale semper cum indicatiuo perfecti construitur; *ut primum* occurrit p. 97,5 et in excerptis p. 384,25. — De *ut* particula ui finali posita nihil est, quod adiciam. Contra ualde memorabilis est particulae usus in talibus structuris, quales apud ceteros scriptores aut nusquam aut raro leguntur; quarum has adnotare mihi hoc loco liceat; [2]) dicitur enim: *iubeo ut* p. 74,3 (Silo Pompeius); *exspecto ut* p. 78,5 (Porcius Latro), p. 149,23 (Cestius Pius), p. 208,15 (Alb. Silus); *iuro ut* pp. 92,19 et 133,2 (in argum); [3]) *spero ut* p. 256,15 (Seneca); *licet ut* pp. 270,13 (Cestius Pius) et 277,28 (Gallio); *promitto ut* pp. 40,28 (P. Asprenas) et 137,9 (Arell. Fuscus); *mereo ut* p. 235,11 (Alb. Silus); *facile est ut* p. 251,19 et 20 (Latro); *aequum est ut* p. 261,9 (Arell. Fuscus); *aequale est ut* p. 180,14 (Seneca); *naturale est ut* p. 199,27 (Latro).

Ac comparatiuum legitur p. 34,16 praecedente *aliter*, [4]) p. 61,21 praecedente *perinde* uocabulo; [5]) ceteris locis praeit *simul*.

Quam particula primum ponitur post comparatiuum ideoque post *malle* uerbum; deinde post *ante* et *post* uocabula, qua de re conferas uelim, quae de *antequam* et *postquam* particulis dixi; nec non post *alius* uocabulum et antecedente negatione [6]) et omissa pp.

---

[1]) cf. Kuehnast. p. 218. [2]) cf. quae dixi p. 5.
[3]) cf. quae dixi de argumentis p. 3 [4]) cf. quae adnotaui p. 3.
[5]) cf. adnot. 1 p. 3. [6]) pro *quam* saepissime ponitur *nisi*.

184,11; 30 (Alb. Silus) 364,18 (Seneca); septiens occurrit *aeque quam*[1]); nam *aeque ac* non inueniri iam commemoraui p. 3. — Denique *quam* saepissime ponitur praeeunte *tam* uocabulo. —

Tamquam sic compositum cum modo coniunctiuo construitur, si notionem hypotheticam inuoluit, ut p. 119,10: *ego in domum uestram intrabo, tamquam ego uos eiecerim?* p. 87,26: *Albucius sic narrauit, tamquam filio sciente factum esset adulterium.* Cum indicatiuo coniunctum bis occurrit eadem significatione, qua nos adhibemus *sowie* uel *wie zum Beispiel*: p. 145,5: *Latro haec omnia quasi membra in aliquam quaestionem incurrentia tractabat, non ut quaestionem; tamquam hoc ipsum in illam aiebat quaestionem incurrere, in qua quaeritur* etc. et p. 263,14: *non est uis, ubi aliquid expediendae rei causa patiendum est, sed pactio: tamquam non possum domum habere, nisi hanc emero: nulla alia uenalis est.* — Saepissime *tamquam* absolute ponitur, ita ut coniunctiuus subaudiendus sit, ut p. 258,4: *illud, quod tamquam Latronis circumfertur, non esse Latronis pro testimonio dico.* Item absolute positum saepius idem ualet atque *sowie* uel *wie zum Beispiel;* quod ubi fit, indicatiuus supplendus est, ut p. 111,26: *Quidam pacti sunt cum patre, tamquam Mento qui dixit* etc.; p. 131,26: *omnibus sententiis utebatur ad hoc tendentibus; tamquam: non possum pati sine patre;* eodem sensu *tamquam* legitur pp. 143,24; 231,10;

[1]) cf. p. 3 adn. 1.

262,16[1]). — Praeterea *tamquam* absolute ponitur p. 145,22: *Justus (?) parum hoc putabat ualens esse tamquam quaestionem, satis ualens tamquam argumentum.* p. 164,23: *repudium excusauit liberorum cupiditate, quos semper cupere tamquam maritus debuisset, postea magis tamquam tyrannicida;* eodem sensu *tamquam* occurrit pp. 178,15; 233,9; 255,1, quibus locis idem est atque nostrum *in der Eigenschaft als*, ubi alii scriptores Romani plerumque *pro* praepositionem adhibent. Pag. 229,2 uim fere causalem induit: *imperator non audet nominare te, tamquam patrem*, quae uerba sic interpretabimur: *der Feldherr wagt dich nicht namhaft zu machen, weil du sein Vater bist.* —

De particulis *perinde* et *proinde* disseram, cum ad particulas causae peruenerimus.

Inter particulas comparatiuas etiam *quoque, etiam, item* uocabula numeranda esse censeo[2]), de quibus pauca adicere mihi liceat.

Quoque uox semper postponitur ei uocabulo ad quod refertur. Pag. 96,30 legitur: *Latro aiebat quoque iusiurandum ineptum esse*, quod quam ineptum sit, in oculos incurrit. Sensus fere hic efflagitatur: *Latro aiebat iusiurandum ineptum esse*; hunc si aeque spectamus atque codicum ductus, aut ueram lectionem inuestigasse aut proxime ad rhetoris manum accessisse nobis uidemur, si pro *quoque* scribimus *quodque*.

---

[1]) Idem adnotandum est de *quem ad modum* structura p. 76,25: *dicendum est in puellam uehementer, non sordide nec obscene, sordide ut Bassus Julius . . . . .; obscene quem ad modum Murredius etc.*

[2]) cf. Reisig. p. 428.

Pro **etiam** particula saepissime occurrit simplex uocabulum *et*[1]) ut pp. 1,6; 9,6; 15; 10,7 etc.; eodem modo legitur *sed et* pro *sed etiam* p. 46,10, nisi forte *sed et*, quia hoc tantum loco inuenitur, propter sequens uerbum *iudicetis* mutandum est in *sed etiam*. --- *Immo etiam* praebetur in excerptis p. 379,7; *quin etiam* p. 121,27. *Sed etiam* non occurrit nisi antecedentibus uocabulis *non tantum;* nam p. 34,12 in priore enuntiato legimus *non modo*, in altero *sed quoque; non solum* duobus locis inuenitur p. 36,4, ubi sequitur *sed-quoque*, et p. 301,18, ubi simplex *sed*[2]). — Interdum scribitur *non tantum — (sed* uoce omissa) *etiam*, ut p. 268,24: *non enim tantum patrem, etiam patronum cecidisti. Etiam-non* exstat pro *ne-quidem* p. 193,2: *uni enim etiam de minore scelere non creditur.* — De *etiamnunc, etiumtunc; etiamtum* particulis iam disserui dissertationis meae pp. 14 et 15. —

Item particula Senecam non usum esse confidenter adseuerare audeo. Bursianus quidem secus existimat; nam p. 255,1 de coniectura reposuit: *Nam cum adulterium committit, tamquam ciuis peccat, [item] cum ueneficium.* Sed cum compertum habeamus rhetorem in particularum delectu certam atque distinctam rationem secutum esse, nihilque causae subesse uideatur, cur hic secum non constiterit, nostro iure hanc coniecturam respuendam esse statuemus. Igitur alia medela huic loco adferenda est, quam facile inueniemus, si praecedentia paulo accuratius spectauerimus. Patet enim Montanum Votienum quae-

[1]) cf. Reisig. p. 430; Draeger. p. 39.
[2]) cf. Reisig. in adn. p. 440.

stionem suam sic instituisse, ut tria scelera fingeret priuatim a magistratu publico commissa: parricidium, ueneficium, adulterium. Hoc ad nostrum locum referendum erit; cogitari enim nequit rhetorem duo tantum scelera commemorasse, tertium plane silentio praeteriisse. Poterat igitur sententiam sic amplificare atque illustrare, ut trium scelerum mentionem faceret. Sed poterat tantum: facere eum hoc debere plane negamus. Satis erat unum adulterii crimen proferre duabus de causis: et quia hoc ultimo loco praecedit et quia haec duo enuntiata melius ad aurium sonitum cadunt, si breues accurataeque antitheses iis inducuntur. Ex hoc consequens est aut *cum ueneficium* delendum esse tamquam otiosum interpretis alicuius additamentum aut transponendum post *committit*, aut post haec uerba lacunam statuendam, qua etiam tertium parricidii scelus commemoratum fuerit. Quid autem praeferendum sit, obstinatius non contendo. Haud leue uulnus insidet etiam in altero loco, quo *item* de coniectura scriptum est p. 170,17 de quo disputandum erit, ne posthac semel iterumque in correctione ad particulas a Seneca non adamatas confugiatur. Certa quidem coniectura, quamquam multum cogitaui, mihi non subnata est; tamen si quomodo enuntiata antecedentia composita sint accuratius spectamus, hoc pro certo statuere possumus participium aliquod ad concinnitatem deesse. In mentem mihi uenit *excitatas;* cogitaui etiam de *citas;* [1]) nihil tamen inueni, quod aliqua ratione probare possem.

[1]) cf. *rixas ciere* apud L. Senecam in Oed. u. 351 ; apud Velleium 1,2.

IV. De particulis finalibus.

De *ut* particula iam disserui p. 26, de *quin* postea uerba faciam p. 42.

Quominus tribus locis occurrit p. 253,7, ubi praecedit *non peto,*[1]) p. 284,6, ubi *non recuso*; p. 296,6 legitur: *quibus quominus ad famam peruenirent, non ingenium defuit sed locus.*[2])

Ne particulam ui finali positam Seneca eodem modo adhibet, quo ceteri scriptores Romani. — In excerptis p. 377,27 *ne* idem fere ualet atque *quod non* praecedentibus *in hoc* uerbis: *ille in hoc scolasticis morem gerebat, ne uerbis calcatis et obsoletis uteretur;* fere eodem modo p. 107,19 exhibetur: *causa est, ne sine filio uiuam*, qua de constructione conferas uelim, quae animaduertit Draeger. ad Tac. § 143.

Neu uel **neue** particulas rhetor consulto deque industria euitasse uidetur, quando quidem eas semper ita cirbumscribit, ut *ne* in priore enuntiato positum in altero membro asyndete repetat. Non nullis autem locis priore tantum in enuntiato *ne* ponitur, in sequentibus aut asyndete aut *et* uoce adiectis particula supplenda est. Hoc exempla illustrent: Legitur p. 219,20: *Quis hoc potest credere optandum filiae fuisse, ne finiretur tyrannis,*

[1]) cf. L. Seneca de benef. III, 2,5: *non deprecari, quominus.*

[2]) cf. Reisig. p. 572 in adn. et Draeg. §. 187.

ne rediret pater? p. 230,21: *Videte, ne quis nocte insciis custodibus exeat, ne quis ignorante republica ad hostem perueniat, ne quis ex hostilibus castris grauis auro reuertatur;* p. 102,8: *Deprecabar non pro adultero, sed pro domo, ne fratrem occideret, tyrannum inquinaret, patrem respergeret;* p 278,14: *Medicos uero suasisse, ueniret et puerum confunderet et impleret suspicionibus.* — Quod uero uno excerptorum loco p. 399,18 *neu* occurrit, nihil habet offensionis; nam hoc aut librariis condonandum aut epitomatori tribuendum esse nemo infitiabitur [1]). — pro **ne-quidem** structura, quae saepissime apud Senecam inuenitur, non raro *nec* ponitur, ut pp. 89,2; 202,12 etc.

Reliquum est, ut de particula *ne* enclitica nonnulla proferam. — *Ne* encliticum in interrogationibus rectis [2]) plerumque legitur, in simplicibus ibi tantum, ubi ceteri scriptores *num* uoce utuntur, id est, ubi responsum negatiuum exspectatur [3]) ut p. 109,4: *Credisne quidquam referre, ubi simus, quem uitae cursum agamus?* p. 118,15: *Cum multa quaesieris, poterisne omnibus frui?* cf. etiam pp. 30,27; 117,7; 160,3; 176,14; 284,2; 374,15. — **Nonne** compositum quamquam uno tantum loco libris firmatur p. 168,3 tamen non dubito eandem uocem cum Bursiano in textum recipere p. 139,10 pro eo quod exstat in codicibus *n̄ meo*, et p. 255,21, ubi Bursianus librorum uestigia: *nonnā e.' ante* recte mutasse uidetur

---

[1]) cf. quae dixi p. 2 et 3.

[2]) in interr. obliquis pro *ne* plerumque ponitur *an*.

[3]) ubi ceteri scriptores uulgo *ne* uoce utuntur, Seneca particulam interr. omnino omittere solet.

in *nonne iam et ante.* — Pro *nonne* particula plerumque simplex uocabulum *non* occurrit, ut p. 10,22: *Non pudet Laconas ne pugna quidem hostium sed fabula uinci?* p. 175,10: *Non omne ornamentum ueluti causam talis iniuriae exsecrata es?* — In interrogationibus disiunctiuis *ne* plerumque omittitur, in altero membro sequitur *an*, ut p. 118,20, 22;[1]) duobus tantum locis prius membrum *ne* uoce introducitur p. 22,8: *Debueritne patri parere an non debuerit?* p. 253,11: *praetorne se mollius moueret an meretrix?* **Utrumne-an** legitur pp. 34,8 et 191,17, ubi Seneca ipse, et p. 323,19, ubi Quintilianus hac structura utitur[2]) — Pag. 49,9 Bursianus *nec* particulam, quae exstat in libris, mutat in *ne* et totum locum sic reddit: *Emolliti eneruesque, quod* (fort. scr. *ut) nati sunt, inuiti* (fort. scr. *in uita) manent, expugnatores alienae pudicitiae, neglegentes suae; in hos ne dii tantum mali, ut (in aliud:* S) *cadat eloquentia,* non quo arbitratus sit hanc esse ueram et genuinam lectionem, sed quia nihil excogitasse uidetur, quo nodum solueret. Et sane satis nodosa res est, ut quid Seneca scripserit dici nequeat; fortasse tamen non prorsus ineptum est, quod mihi in mentem uenit, ut scribamus: *In hos recidit tantum mali, ut cadat eloquentia.*[3])

---

[1]) eodem sensu saepius occurrit: *utrum-an.* ut pp. 40,15; 62.2; 73,10; 81,4 etc.

[2]) cf. quae dixi p. 5.

[3]) Studemundus proposuit: *in his residet tantum mali.*

V. De particulis causae.

Particularum causalium apud Senecam non leguntur hae: **igitur, proinde, propterea, quapropter**[1]**, quamodrem, quocirca, quandoquidem, siquidem**[2]**,** ne **etenim** quidem et **nimirum** particulis usus esse uidetur, quamquam illa in editione Bursianea bis exhibetur, haec semel. — Legitur enim apud Bursianum *etenim* pp. 8,26 et 79,16, quod, si magnum Senecae operis uolumen respicimus, iam per se mirum uidetur esse, quia sexcentiens hanc particulam ponere licebat. — At consideremus locos ipsos: omnes libri p. 79,14 exhibent: *Nihil putabam amplius adici posse audaciae istius, quam quod illa in cruce* (Konitzer recte scr. *rupe) Vestam nominauerat: enim ab ipso supplicio in templum usque reuoluta quidquid secundum deos sanctissimum est, contactu suo polluit.* — *Enim* uocem in initio enuntiati positam

---

[1]) pro *quapropter* Seneca utitur uoce *propter quod*, ut pp. 78,14; 211,7; pro *propterea* uerbis: *propter id, propter hoc, ob id, ob hoc*, et absolute positis et sequentibus particulis *quia, quod, ut;* absolute legitur *ob hoc* pp. 18,6; 56,18; 168,16; 22; 25; 223,26 etc.; *propter hoc* pp. 89,10; 105,4 etc.; *propter id* p. 109,24; sequente *quod* pp. 39,10; 62,7; 24 etc.; *quia* pp. 91,25; 302,17; *ut* p. 168,12;

[2]) Kiessl. p. 36,19 *siquidem* scribendum esse recte coniecit pro eo quod est in codd. *quidem;* nam quamquam *siquidem* hoc uno loco legitur, tamen Asinio Pollioni, qui saepius a ceterorum rhetorum usu recedit, etiam hanc sermonis differentiam nostro iure tribuemus.

neutiquam ferri posse Bursianus recte uidit; quod autem pro *enim* scribendum esse proposuit *etenim*, ueri caret similitudine. Scribit enim: *Etenim ab ipso supplicio* etc.; quae uerba, quamquam a codicum signis non nimis aberrant, tamen sententiarum nexui nullo modo satisfaciunt. Attende paulo diligentius: iam intelleges hoc loco particulam efflagitari, quae gradationis notionem inuoluat; quare Becher amicus pro *enim* repetitis ultimis antecedentis uocabuli litteris scribi uult *at enim;* coniectura perquam ad persuadendum apta. Sed cum nullo alio loco hac *at enim* structura Seneca usus sit nescio an Studemundus sequendus sit pro *enim* scribendum esse ratus *immo* [1]).

Quod si recte disputaui, etiam alterius loci mendum facili negotio tollemus. Legitur enim p. 8,26: *Potuisset etenim fieri, ut uos magis illa laudaretis, quae insaniunt,* quae uerba offensionem sane magnam praebent, cum *etenim* uox altero enuntiati loco nusquam ponatur[2]). Sed quid multa? res ipsa manifestum facere uidetur *etenim* hoc loco ex dittographia ultimae syllabae verbi *potuisset* natum et mutandum esse in *enim*[3]).

Alteram quam supra dixi particulam *nimirum* Bursianus scribi uult p. 251,21, ubi codices habent: *facilius est, ut qui multa* (sic enim recte legi censeo in excerptis pro *alia) meretrici dederit, homicidium neget, quam ut qui hoc quoque dederit, quicquam. Vidimirum numquam istud mulierum oculis ostendi solet, aut ista iam*

---

[1]) *immo* sic legitur pp. 49,7; 59.21; 74,31; 76,7 etc.

[2]) cf. Hand. Turs, II. p. 544.

[3]) *enim* hoc loco etiam in noua Kiessl. edit. legitur.

saepe uidisset. Bursianus post *quicquam* uocem excerptorum[1]) uestigia secutus cum uerbum *negandi* recte requirat, *neget* in textum inserit; uidimirum autem mutat in *nimirum*, quod quia hoc loco unico *nimirum* inuenitur, falso eum fecisse nuper Kiesslingius adnotauit, qui *uidimirum* ex *uidelicet* uocabulo et *nimirum* glossa a lectore quodam adscripta ortum esse arbitratus *uidelicet* in textum recipit quam coniecturam omnino respuere non audeo. Sed liceat mihi etiam quae mea de hoc loco sit sententia adnotare: longiores enim rhetorum orationes fere semper sic exeunt, ut in ipso exitu summam quaestionis ponant, quod hoc loco frustra quaesieris: neque uero in hoc, sed in antecedente enuntiato cardo orationis Porci Latronis inesse uidetur. Quare Latronem his uerbis: *quam ut qui multa meretrici dederit, homicidium neget* dicendi finem fecisse censeo, a *numquam* autem uocabulo incepisse alium rhetorem, cuius nominis uestigia fortasse in litteris *uidimirum* latitant: pro *uidimirum* igitur scribo *Vibi Rufi*[2]), quem uirum Seneca et aliis locis saepenumero disserentem facit et in hac controuersia pp. 251,4; 256,19; 259,1. — Itaque *nimirum* particula Senecam usum esse negabimus.

Idcirco quod rhetor scripsisse uidetur p. 276,7,

---

[1]) in libris excerptorum p. 434,14 exhibetur antecedente *dederit* forma *negarit*, quod Bursianus recte mutauit in *neget*.

[2]) eodem modo Rebling. p. 35,8 *ac alienam* mutauit in *a Catilina*, Lipsius p. 227,1 *uoles uel* in *Volesum*, cf. Jahrb. f. Phil. 1871,4, p. 269, et Kiessl. Neue Beitr. z. Krit. d. Rhetor Sen. Hamburg 1871; p. 15.

ubi codices exhibent *idcircū*, eandem uim habet atque aliis permultis locis *ob hoc* uel *propter hoc* [1]).

Quippe uocabulum ter legitur eadem significatione atque *enim;* pp. 10,14 et 120,20 (?) cum uerbo finito coniungitur, p. 34,12 cum participio perfecti passiui.

Quoniam octiens eodem sensu positum est atquae nostrum *da ja.*

Ideo eandem significationem habet atque *ob id* et *ob hoc*, ita ut et ad uerba antecedentia referatur et ad sequentia sequente *quia* particula. Plerumque primum enuntiati locum tenet, rarius alterum; quod ubi fit, saepissime praecedit *et;* p. 77,15 *num*, p. 255,24 *nec;* p. 259,23 legitur: *hanc ideo sententiam.* Tertium hanc uocem locum tenere negandum esse puto; nam p. 362,26 codex P sequendus est, qui pro eo, quod Bursianus recepit *et ille ideo*, recte tradere uidetur *et ideo ille.* — Plurimis locis Seneca hoc uocabulo absolute utitur, quinquiens *quia* sequitur; *ideo-quod* non occurrit; *ideoque* legitur p. 52,3 et 8 [2]).

Nam et **enim** particularum usu Seneca ab aliis scriptoribus multum differt. Primum enim perraro eas cum aliis uocibus componit; *namque* [3]) legitur tantum p. 36,21 et 26; nam falso Muellerum pp. 231,9 et 359,7 id quod est in codicibus *itaque* mutasse censeo in *namque;* illis enim duobus locis, ubi libri ipsi *namque* praebent, particula consulto et initio enuntiati et ante uocalem posita esse uidetur, id quod Muellerus non

[1]) huius rei exempla inuenis diss. meae p. 36 in adn. 1.
[2]) cf. quae dixi p. 5.
[3]) cf. quae dixi p. 5.

respexit: nam p. 359,7 altero enuntiati loco, p. 231,9 tertio *namque* poni uult, utroque autem loco ante consonantem. Sed recte Jahnium p. 231,9 pro *itaque* scripsisse censeo *utique;* p. 359,7 autem codicum lectionem *itaque,* quae a sensu non abhorreat, seruandam esse puto. — *Quidnam* rhetorem usum esse cur negandum sit, iam supra[1]) exposui; *enimuero* uulgari et propria ui positum occurrit semel p. 121,5; *etenim* particulam Senecam fugisse iam diss. meae p. 37 demonstraui. — Praeterea tenendum est rhetorem, ubi *enim* cum negatione coniungat, saepius *non enim* scribere quam *neque enim;* hoc enim undecim, illud uiginti locis sine ullo notionis discrimine legitur. — Vno loco editionis Bursianeae p. 30,13 inuenimus *haut enim,* quod uix recte textui datum esse arbitror.

Tertium hoc est: ceteri scriptores altero[2]) enuntiati loco *enim* particulam ponere solent; Seneca eam et altero et tertio loco ponit, ut pag. 307,21; 335,12 etc.; quarto loco uocabulum illud scriptum esse non puto, quamquam p. 23,11 omnes[3]) exhibent codices: *incertae sortis uiuimus enim,* quod Bursianus in textum recepit; at licet

---

[1]) cf. p. 2.

[2]) Dico *enim* uocem apud Ciceronem alterum semper locum tenere; nam nomen cum praepos. uel uerbum cum negat. coniunctum quasi in unam notionem coeunt. Idem dicendum est de figuris *necesse est* p. 47,26; *quaesitum est* p. 238,21; *opatio est* p. 238,7: nam *est* illud tam arte cum uerbo antecedente coniunctum est, ut cum illo una uoce si non scriptum, at certe pronuntiatum sit; cf. etiam Hand. Turs. II, p. 400.

[3]) Kiessl. codicem Tb *enim* altero loco praebere in ed. sua adnotat.

quarto loco *enim* poni possit, in fine enuntiati, ut hoc loco fit, particulam legi nouum et inauditum est. Rescribo igitur transpositione usus: *incertae enim sortis uiuimus* arbitratus in archetypo *enim* alterum enuntiati locum tenuisse, librarii autem culpa omissum et tunc in fine positum esse.

Itaque particula rhetor eadem ui utitur atque Cicero aliique scriptores Romani; ponit eam et in initio et altero enuntiati loco; tertio loco tantum p. 297,6 legitur: *et pecuniam itaque et dignitatem etc.*; p. 231,9 *itaque*, quod a sensu ualde abhorret, Jahnium recte mutasse in *utique* iam antea commemoraui.

Nempe uoce Seneca eadem ui atque *sine dubio* neque multo rarius pro *nam* utitur. Vtraque notione primum orationis tenet locum exceptis p. 102,13, ubi precedit *hae* pronomen [1]) (Vibius Rufus) [2]) et p. 309,18, ubi legitur *sed nempe* [3]) (Turrinus). [2])

Ergo saepissime in interrogationibus occurrit plerumque aduerbiis uel pronominibus antecedentibus interrogatiuis, ut *quid*, *ecquid*, *quare*, plurimis eiusmodi locis cum ironiae quadam ui, ut p. 219,17: *quid? ergo mauis inimicum adoptet?* p. 203,10: *quid? ergo nemo reus uiuet?* Verum etiam omissis talibus uocabulis saepe sententiae ironicam notionem infert, ut p. 297,17: *non ergo debuit de corio eius satisfieri?* p. 329,7: *nemo ergo miseris seruit?* Ponitur et primo et altero enuntiationis loco.

---

[1]) ceteris locis pronomen *hic, haec, hoc* postponitur, ut pp. 98,24; 118,29; 149,26; 331,24.

[2]) cf. quae dixi p. 5. [3]) cf. Draeger. p. 44.

Quidni[1]) uocem rhetor et absolute ponit et sequente modo coniunctiuo. Idem semper ualet atque nostrum: *warum (sollte) denn nicht?*

Cur uocabulo Seneca, ut ceteri scriptores, in interrogationibus et directis et indirectis utitur.

Qui particula p. 16,22 post *mirandi* uerbum[2]) et p. 134,8 post structuram *nec est* posita quamquam omnibus codicibus traditur, mutanda esse uidetur in *quod*, quia cum hac particula omnibus aliis locis et *mirandi* uocabulum et *nec est*[3]) figura construitur. Pagg. 64,23 et 156,24 legitur *nescio qui*[4]) *(= vielleicht). — Alioqui* et *ceteroqui, (= sonst)*[5]) saepissime occurrunt.

Quin particula in editione Bursianea ui causali legitur p. 2,11: *nescio quin quod humanis natura subduxit oculis, aeterna nox obruit?* Sed habet sane aliquid dubitationis, quod hoc uno loco *quin* causali ui occurrit quamquam de hac re alii aliter existimare possunt. Quaero tamen, quo illud *nescio* absolute positum spectet et quomodo ex toto enuntiato sana sententia prolici possit. Hoc nemodum docuit neque doceri posse censeo. Sed quomodo locus sanandus sit nescio.[6])

---

[1]) cf. Ribbeck: *Beiträge zur Lehre von den latein. Partikeln* pag. 11.

[2]) In cod. C (Kiessl.) legitur *quod*, quam uocem etiam Kiessl. recepit.

[3]) cf. pp. 142,27; 227,28; 248,12; 274,14; 282,8; 286,24 etc.

[4]) cf. adnot. 6.

[5]) Manuscr. modo *alioqui* et *ceteroqui*, modo *alioquin* et *ceteroquin* praebent.

[6]) Libenter amplector Kiessl. emendationem pro *quin* cum cod. Tb. *qui* proponentis et totum locum sic legentis: *tetra caligo fluctus premit et* (Haas: pro *remitet) nescio qui quod humanis natura subduxit oculis, aeterna nox obruit.*

Non dubito quin occurrit pp. 18,22; 32,17; 34,2; 78,13; 203,22; 222,28; 243,23; 315,14; *non uetor quin* p. 52,21 et *uix tempero quin*[1]) p. 301,5 a Seneca ipso dicuntur;[2]) ab Asinio Pollione p. 32,27: *non mora fuit quin;*[3]) ab Hispone Romanio p. 153,9: *paullum abest quin;* — p. 163,6 codicibus traditum est: *tyrannus non uetuisset istam parere quin inter et cum hoc uehementer impleuisset*, qui locus adeo corruptus esse uidetur, ut non appareat, quid hoc loco significet *quin.*[4]) — De *quin* particula gradationis uim inuoluente dixi p. 31. s. u. *etiam*; eodemque loco de structura *quin etiam* uerba feci.

Scilicet et **uidelicet** uocibus causali ui, nonnumquam etiam ui ironica utitur. — Quod autem Bursianus pp. 169,14 et 325,5 *scilicet* in textum recepit, me non habet adsentientem. Intellegi enim non potest, qua ratione ductus p. 169,14 *si*, quod uocabulum et in codicibus exstat et ad sensum bene quadrare mihi uidetur, in *scilicet* mutatuerit. — Neque minus anceps res est, cum p. 325,5 *sedad* mutauerit in *scilicet ait;* primum enim signa librorum *sedad* a *scilicet* nimis abhorrent; nam in nostris codicibus nullum uestigium super est *scilicet* uocabuli per *scl.* notati; deinde ubicumque apud Senecam illa particula legitur, alterum enuntiati locum tenet, nusquam in initio ponitur.[5]) Quibus causis apparere mihi uidetur Bursianum etiam hoc loco codicum

---

[1]) cf. Tac. ann. 15,39. [2]) cf. quae dixi p. 5. [3]) cf. Tac. hist. 3,28.

[4]) Bursianus post uocem *inter* lacunam staduendam esse recte contendere uidetur.

[5]) Hanc ob causam Kiesslingium p. 168,18 *se leuit*, quod exstat in codd., falso mutasse censeo in *scilicet.*

signa falso mutasse in *scilicet ait;* sed quamquam saepius medelam his uerbis adferre conatus sum, emendationem non inueni.

Videlicet uox et primum et alterum et, ubi nomen cum praepositione coniunctum praecedit, tertium enuntiati locum tenet.

Quare plerumque in interrogationibus inuenitur pro *cur;* perraro relatiue ponitur; hoc si fit, praecedunt figurae, ut *non est, non habeo*; demonstratiue non occurrit.

VI. De particulis concessiuis.

Restat, ut pauca de particulis concessiuis addamus.

Quamquam uocem Seneca semper cum modo indicatiuo coniungit, ut pp. 59,19; 119,25; 172,23, 231,30; 311,12; bis demonstratiue posita idem significat atque nostrum *und doch* uel *freilich;* pp. 119,25 et 311,12.

Quamuis particulam a Seneca semper cum coniunctiuo constructam esse quominus contendam, me non impedit librorum auctoritas, qui p. 7,7 exhibent: *Propitiis auribus accipitur, quamuis incredibile est*[1]), quae uerba etiam Bursianus in textum recepit. — Nam cum in codicibus *est* et *sit* uocabula saepissime inter se confundantur omnibusque aliis locis ex *quamuis* uoce coniunctiuus pendeat, etiam hoc loco recte reponemus: *quamuis incredibile sit*[2]).

Etsi uocem Seneca consilio euitasse uidetur, ut recte iam Woelfflinus[3]) animaduertit. Non igitur temeritatis crimen subibimus, si p. 10,10, ubi omnes exhibent codices: *sed etsi cadendum est*, particulam *et* ut ex falsa antecedentium litterarum repetitione ortam delebimus et locum sic reddemus: *sed si cadendum est*[4]) etc.

---

[1]) cf. tamen Draeger. §. 201; Reisig p. 529 et adnot. 467;

[2]) miror, quod etiam in noua Kiessl, editione hoc loco occurrit *est.*

[3]) *Publitii Syri sententiae:* p. 11 adn. 2: *Animaduerti ex. gr. utrumque* (et patrem et filium) *abstinuisse uocabulo etsi.*

[4]) *Sed si* etiam Kiessl. in editionem suam recepit.

Etiamsi, quod saepissime occurrit, ita a *quamuis* differt, ut illud hypothesin, hoc factum semper significet; construitur modo cum indicatiuo, modo cum coniunctiuo.

Tamen apud rhetorem aut primum aut alterum enuntiati locum tenet; *attamen* (in initio semper positum) adhibuit p. 255,23 Montanus Votienus [1]) et p. 320,20 Porcius Latro [1]); ceteris locis pro *attamen* inuenitur *et tamen* uel *sed tamen*.

Tamenetsi, quantumuis, quamlibet particulis Seneca abstinuisse uidetur. —

[1]) cf. quae dixi p. 5.

Maximilianus Car. Guil. Sander

de uita sua.

Natus sum postr. Kal. Jun. anni h. s. XLVIII Treptoui in oppido ad Tollensem flumen sito a patre Carolo et a matre Emma e gente Walter, quos adhuc superstites esse ualde gaudeo. Fidei addictus sum euangelicae. Decem annos natus cum pater in propinquum Jarmen oppidulum concessisset, in gymnasium Tanglimense receptus sum, quod tunc florebat Sommerbrodtio postea Bormanno directoribus, uiris ut de gymnasii flore optime meritis ita ipsi mihi in paucis colendis. Cum maturitatis testimonio dimissus tempore autumnali anni h. s. LXVII Gryphiswaldiam me contuli philologiae studiis operam nauaturus. A uiro ill. Budge t. t. rectore ciuibus academicis adscriptus per sex semestria scholis interfui uu. ill. Buecheleri, Georgii, Hoeferi, de Noorden, Preuneri, Schoemanni, Studemundi, Susemihlii, quorum multa in me merita pio fidelique animo agnosco. Hoc loco temperare mihi non possum, quin singulares agam gratias Buechelero, Schoemanno, Studemundo, qui me seminarii philologici sodalem et auctoritate et doctrina et beneuolentia multis nominibus deuinxerunt, atque etiam Georgio, quo duce societatis philosophicae exercitationibus magna cum mea utilitate operam dedi. Priuata studia mea Studemundus summa cum facilitate semper fouit et docendo atque suadendo auxit. Cum magnum illud exardesceret bellum, ut omnes qui arma sustinere poterant, sic ego quoque ad signa uocatus, quantum facere potui, ad coercendam Gallorum insolentiam contuli. Cum Deo Maximo ex omnibus proeliis quorum particeps eram, paene integer ad studia mea reuersus per unum semestre scholis interfui uu. ill. Georgii et Studemundi.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 806 2

Sententiae controuersae.

I.

Ex Lehrsii editione Horatiana litteras latinas plus detrimenti quam utilitatis cepisse.

II.

Senecae rhetoris p. 115,26 (Burs.) uocabula *concupiscentem nihil* delenda esse.

III.

Senecae p. 133,17 sq. textum sic esse restituendum: *moriar. habeo et causam et exemplum: quaedam ardentibus rogis se maritorum miscuerunt.*

IV.

Philosophiae ueteris historiam in superioribus gymnasiorum ordinibus docendam esse.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 806 2